

[1086], enero. — Jaca.

*El infante don Pedro dona a san Pedro de Jaca un excusado llamado García de Artusa. Siendo ya rey confirmo el documento y se obliga a entregar cien sueldos cada año.*

—ACH, *Libro de la Cadena*, p. 403, n.º DCCLXXIIII.

[I]n nomine sancte et individue Trinitatis. Ego Petrus, Sancii Rainimiri Aragonensium regis filius, ob remedium anime mee omniumque parentum meorum et omnium fidelium christianorum, consilio patris mei, do helemosine sancti Petri de Iaca unum scusatam meum, nomine dompnum Garssiam de Artussa, cum filiis suis et cum omni generatione filiorum suorum, cum tota radice sua omniumque filiorum suorum; do ingenuum et corroboro et confirmo hic et usque in eternum. Omnia igitur suprascripta ego Petrus gratia Dei regis Sancii filius dedi et hoc signum manu mea feci [*lac.*].

Hec autem carta fuit facta in Iacca quando nuptias feci in mense ianuario, regnante ubique Domino nostro Ihesu Christo et sub eo patre meo Sancio in Aragonie et in Pampilonia et frater eius Garsia existente episcopo in Iacca et Alfunso rege in Toletto, ipso auxiliante qui regnat per infinita seculorum secula.

Ob captandum nichilominus divine miseracionis suffragium, ego Petrus, prescripti regis Sancii filius, gratia Dei Aragonensium et Pampilonensium atque Oscensium rex, huic prelibate helemosinarie donationi addo in urbe Osca quicquid in domibus, tendis, terris, vineis, ortis, molendinis, ad sustentationem pauperum atque leprosorum in eadem urbe habebant in die qua superne protegente clementia a me capta, hiis exceptis que a me vel a patre meo prius per regalia decrepta cuilibet collata erant adiciens, et constituo C. solidos denariorum mee monete iam dicte elemosine cunctis perhenniter temporibus per unumquoque annum dari.

Signum [*lac.*] Rainimiri.